angelos dicere predicaret.
cumque se unum ex prophetis ha-
beri volebat Clarus tamen
nequaquam ad credendum cogi
poterat Ille ei iram dei et
presentes plagas cur sancto
non crederet comminari Ad ex-
tremo in hanc voce erupisse
fertur Ecce hac nocte ve-
stem michi candidam dominus de
celo dabit qua indutus in
medio vestrum diversabor.
Idque vobis signum erit me in
dei esse virtute qui dei ve-
ste donatus sim Tunc vero
grandis omnium ad hanc pro-
fessione exspectatio Itaque ad
media fere nocte fremitu
insultantium commoveri omne
monasterium loco visum est
Cellulam quoque qua idem ado-
lescens continebatur crebris
coruscare luminibus
fremitusque in ea discurrentium
et murmur quoddam multarum
vocum audiebatur Dein facto
silentio egressus unum e fra-
tribus sabatium nomine advo-
cat tunicamque ei qua erat
indutus ostendit Obstupe-
factus ille convocat ceteros
ipse etiam clarus accurrit. ad-
hibitoque lumine veste omnes

diligenter inspiciunt Erat
autem summa mollicia candore
eximio muricati purpura non
tamen cuius esset generis aut vel-
leris poterat agnosci Curi-
osis tamen oculis aut digitis
exacte attrectata non aliud
quam vestis videbatur Interea
clarus fratres admonet orationi
instare ut manifestius
eis dominus quid id esset ostenderet
Itaque reliquum noctis ymnis
psalmisque consumunt Ut
ubi illuxit dies apprehensum
dextera trahere ad martinum
volebat bene conscius illudi
eum dyaboli arte non posse
Tunc vero reniti ac recla-
mare miser cepit. Interdictum
quod sibi esse dicebat. ne se mar-
tino ostenderet Cumque invitum
ire compelleret inter trahen-
tium manus vestis evanuit
Quis dubitet hanc etiam mar-
tini fuisse virtutem ut fan-
tasiam suam dyabolus cum erat
martini oculis ingerenda
dissimulare diucius aut
tegere non posset Animad-
versum est tamen eodem fere
tempore fuisse in hispaniis
iuvenem qui cum sibi multis
signis auctoritatem parasset
eousque elatus est ut se heliam